



Nf. 24.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRORECTOR  
IOAN. FRIDEMANNVS  
SCHNEIDERVS,

I. V. DOCTOR,  
POT. BORVSSIAE REGIS CONSILIARIVS AVLICVS,  
ET LOG. METAPH. AC ETHICES ORDINARIVS, NEC NON  
IVRIVM EXTRAORDINARIVS PROFESSOR,

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO

AC

PROFESSORIBVS RELIQVIS,  
CIVIBVS ACADEMICIS

PIAM

RESVRRECTIONIS CHRISTI,

ET IN EA TERNARI,


EIVSQVE TRIPLICATI, CIRCVMSTANTIARVM NVMERI,  
MEDITATIONEM COMMENDAT.

lx.



ACADEMIE FRIDERICIANA  
PROFESSORIBUS  
IOANN. FRIDERICIANUS  
SCHNEIDERVS  
L. V. DOCTOR  
FOR. BOVSIN KTOR. CONSILIARVS JALIOV  
IT. BOVSIN KTOR. CONSILIARVS JALIOV  
DIRECTOR  
PROFESSORIBUS  
CIVIBVS ACADEMICIS  
REST. RECTIONIS CHRISTI  
LIVS. TEMIGAT. CROVNTATITAT. VMBR.  
LIVS. TEMIGAT. CROVNTATITAT. VMBR.





Vod almus sol est inter clarissima  
 cœli sidera, id est historia resur-  
 rectionis Christi inter historia-  
 rum sacrarum lumina. Ista enim  
 hæc omnia superat; vti splen-  
 dore, sic etiam radiorum amœ-  
 nitate & fructu. Quo vt nos  
 etiam læto hoc festi huius tem-  
 poris articulo beemur, in radios istos prodeamus,  
 iisdem nos exposituri. Prodimus vero, si præcipuas  
 salutiferæ ἀναστάσεως circumstantias consideremus; *πρό-  
 σωρον* temporis, quando; & *μοδι*, quo contigit; nec non  
*personarum*, facti testium. Qui numerus momento-  
 rum ternarius simplex, recte consideratus, in triplica-  
 tum abit.

Ecce circumstantiam TEMPORIS triplicem:  
*primam* diei a morte piaculari tertie; *secundam* diei  
 hebdomadis, quæ nouo fœderi prima erat, primæ; *ter-  
 tiam* exorientis pulsa nocte solis. Habemus hic omni-  
 no, quod attenta & pia meditatione excolamus. Et  
 primum quidem in *die* a morte *tertia*. Saluator noster  
 redire voluit in vitam nec citius, nec ferius. Non ci-  
 tius, vt de veritate mortis & sepulturæ constaret omni-  
 bus, hostibus cauillandi ansa sic ademta: & vt synago-  
 gam sabbaticam, per sabbatum Iudaicum in sepulcro

) ( 2

quie-



quiescens, secum quasi sepultam abrogaret. Nec ferius; ne mora diutius protracta in aliquod impotentiae signum abriperetur; & ut antitypus responderet typis *Isaaci*, die tertio, ex quo secundum Abrahami propositum morti fuerat traditus, quasi reuiuiscens Hebr. XI, 18. 19. nec non *Ionæ*, eodem in integrum restituti Matth. XII, 40. ac *Iosephi*, anno captiuitatis suæ tertio e carcere in dignitatem a regia proximam euecti. Gen. XLI, 1.

Deinde notabilis est circumstantia *diei* hebdomadis *primi*: quo olim hoc vniuersum ratione materiae suæ erat productum; quo lux primigenia, lucis per vniuersum diffusæ principium & semen, cœperat; quo in festo paschatos Iudaico primitiæ messis, in vniuersæ rei frumentariæ consecrationem, Deo in loco sacro fuerant offerendæ Leu. XXIII, 12. Hunc diem resurrectione sua, tanquam nouæ creationis, seu regenerationis, fundamento, nobilitauit Dominus; Dominus, æterna illa mundi lux, lucis in regno naturæ, gratiæ & gloriæ auctor Io. I, 4. seqq. ipsa ἀναστάσις factus ἀπαρχὴ τῶν νεοκαιμένων, *primitiæ eorum, qui beate obdormierunt, ad vitam gloriæ resuscitandi* 1 Cor. XV, 20. Πρωτότοκος ἐν τῶν νεκρῶν, *primogenitus ex mortuis, principatum tenens in omnibus* Col. I, 18. ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τῆ θεῶν, *principium creationis Dei actiuum* Apoc. III, 14. Prov. VIII, 22. *sine quo nihil factum est, quod factum est* Io. I, 3. qui, in ordine spiritualis resuscitationis, singulis corporis sui mystici membris donat ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος, *primitias spiritus*, in plenissimæ messis, quæ futura est, pignus certissimum, ὑποθεσίαις spiritu, spiritu illo gratiæ & precationum, se quam largissime exerens, Rom. VIII, 23, Gal. IV, 6. Quæ diei inter septem primi nobilitatio  
tam



tam insignis ab Apostolis, virisque apostolicis ac reli-  
quis ecclesie christianae primitiis, probe cognita, effe-  
cit, vt hic ipse dies, in sabbati Iudaici, magis magisque  
sepulti, locum, cultui Dei publico consecraretur; cul-  
tui, in quo, vti mortis Christi piacularis, sic resurrectio-  
nis eiusdem meritoriae, pia recordatio, digna appli-  
catione celebrata, omnium animos replet, oribus in  
laudes Domini anastalias resolutis.

Tertia denique latissimi temporis *πρωτοκτισ* nobis  
serenum *solis exortum* exhibet Marc. XVI, 2. Sic qui  
noctu erat natus captusque, & qui, sole e stupendo mi-  
raculo tenebris obducto, in cruce pependerit, tanquam  
ipse sol iustitiae Mal. IV, 2. Luc. I, 78. oriente sole ipse  
exortus, illuminat omnem hominem, qui in mun-  
dum venit, lux, veritas, via & vita ipsa factus Io. I, 4.  
5. 9. XIV, 6.

Sequitur *secundus* circumstantiarum *ternarius* in  
resurrectionis modo positus. Vbi primo nobis oc-  
currit egressus e *sepulcro clauso*, potentiae resurgentis di-  
uinæ conueniens. Quemadmodum enim is resuscita-  
tus est per gloriam Patris Rom. VI, 4. sic, vi eiusdem  
cum Patre essentiae ac maiestatis, vitam in cruce posi-  
tam ipse gloriose resumfit Io. II, 19. seqq. X, 17. 18. hoc  
ipso propriae resurrectionis actu filius Dei cum emphasi  
declaratus; quemadmodum moriendo humanae natu-  
rae veritatem declarauerat. Christum vero, lapide ab  
ostio sepulcri nondum deuoluto, resurrexisse, quemad-  
modum deinceps foribus adhuc oclulis ad discipulos  
ingressus est; ex eo manifestum est, quia ante Angeli,  
qui lapide amoto sepulcrum aperuit, Matth. XXVIII,  
2. aduentum iam resurrexerat v. 6. Nec enim Christi  
caussa venit Angelus, sed cum in finem, vt monumen-

tum aperiret, eoque aperto pias mulieres, Christique discipulos de veritate factæ resurrectionis redderet conuictos.

Secunda modi, seu adiuncti, circumstantia fuit in *ingenti terra motu* Matth. XXVIII, 2. cum quali Christus in cruce exspirauerat, c. XXVII, 52. qui procul dubio significauit, Christo ad iudicium veniente terram, motu vniuersali ab ipso concussam, mortuos esse reddituram; & ad vitam quidem gloriæ eos, quotquot, interiori Spiritus Sancti motu tacti, e morte peccatorum ad vitam gratiæ resurrexerint: atque ita per præconium de Christo in mortem tradito ac quam gloriosissime resuscitato, tanquam per vocem Domini potentissimam, vniuersum genus humanum salutariter commotum iri: quemadmodum, istud eodem commotum esse, euentus ostendit.

Tertium denique momentum hic est in illustri *comitatu sanctorum* haud paucorum, quorum sepulcra Christo in cruce exspirante in terræ motu fuerant aperta. Isti enim, corporis habitaculo, eoque penitus innouato, rursus induti, eodem temporis articulo, quo Christus in vitam redierat, monumentis suis ita egressi sunt, vt ipsum resuscitatum, tanquam ἀπαρχὴν τῶν κοιμημένων & τὸν πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν, e vestigio secuti sint, & Hierosolymam ingressi multis adparuerint, ipsis, & simul nobis, spe resurrectionis futuræ via sic confirmata. Matth. XXVII, 52. 53. Eisdem vero cum Christo in cælum deinceps adscendisse, eo minus potest dubitari, quo e qualitate corporum, ad apparentum & disparendum idoneorum, certius est, eos ad vitam immortalem fuisse resuscitados. Et in horum numero cum procul dubio præcipui fuerint fidei heroes, &

pro-



prophetæ ac patriarchæ; Iacobus & Iosephus, arcano Dei instinctu moti, videntur sepulcreti sui auiti, quod Abrahamus in Cananæa sibi ac posteris suis comparauerat, & quod iam tum ipsius, ac Saræ, & Isaaci, nec non Rebeccæ & Leæ, corpora receperat, consortium expetiuisse, corporum suorum transportatione religiose expetita. Gen. XLVII, 29. 30. 31. XLIX, 29-33. L, 5. 24. 25.


Restat tertius circumstantiarum ternarius in PERSONIS, scilicet in *angelis*, & inter homines in *piis* & *impiis*, resurrectionis Domini testibus. Et Angelorum quidem, numero duorum, describitur cum *forma splendidissima*, in documentum gloriosi corporis Christi, & gloriæ, illis, qui futuri sint *ισάγγελοι*, obuenturæ; tum actio triplex, in *lapidis remotione*, in  *sessione* super eodem quieta, & in factæ resurrectionis Christi *annuntiatione*. Luc. XXIV, 3. seqq. Ex hominum autem ordine *pii* *utriusque sexus* circa sepulcrum, Christi resurrectione vacuefactum, occupati fuerunt; & ex eo quidem sexu, qui peccatum, & cum peccato mortem, introduxerat, priores, dedecore pristino ab eodem sic laudabiliter deuoluto. *Impii* vero sepulcri custodes, terræ motu & saxi amotione in stuporem acti, quod contigerat, populi proceribus narrant, & salutiferæ resurrectionis opere parum curato, linguam mendacissimam infausto, quo corrupti erant, pretio habent additam; documento sic posteris relicto, Christi resurrectionem etiam apud multos ex illis, qui de veritate eiusdem historica conuicti sint, fore irritam, seu pia applicatione destitutam.

Videtur, CIVES CARISSIMI, quam amplius sese campus in euangelica hac resurrectionis dominicæ

minicæ historia meditationi nostræ aperiat. Et longe  
adhuc ampliorem nobis exhibet facundum istud præ-  
conium, quo templa publica feriis hisce sacris resona-  
bunt. Dabimus ergo operam, ne nobis ipsis desimus.  
Nostra enim res, nostra omnium salus, agitur. Et cum  
vestrum alii circa semestris huius æstivi initia sint dis-  
cessuri; alii istud studiis suis adhuc adiecturi; alii ve-  
ro nunc demum huc venerint; singuli sane habetis,  
quod vestri vos officii serjio ac salutariter admoneat.  
Vos, quibus festi hi dies in hac academia sunt ultimi,  
eos ita collocate, vt vltimum, quod duraturum sit, di-  
uinæ gratiæ condimentum studiis vestris adferant. Col-  
locabitis vero eo fidelius, quo curatius considerauerit-  
tis, fieri omnino posse, vt hi ipsi vitæ vestræ curriculo  
sint postremi. Qui diutius hic estis commoraturi, ve-  
re hoc nouo nouum capessite propositum Christo, qui  
vestra causa & mortuus est & resurrexit, vnice viuendi,  
ita vt singuli, qui secuturi sunt, dies vobis sint ana-  
stasii festique, nullus in peccato *δυνατός* & profanus.  
Qui vero circa hoc festum demum huc venistis, nouerit-  
is, has vitæ academicæ, apud nos degendæ, primitias  
Deo ita esse consecrandas, vt inde plenior studiorum  
messis sanctificato vsu dependeat; vti in vestram ipso-  
rum salutem, sic etiam in vberissimam diuinæ gloriæ  
amplificationem, quam certissime redundatura. P. P.  
in Regia Fridericiana in ipsis feriis Iesu Christi ana-  
stasii, anno MDCCXXVI.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis CHRISTIANI HENCKELII Acad. Typogr.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





73

ACADEM  
PH  
IOAN. F  
SCH  
POT. BORUSSIAE  
ET LOG. METAPH.  
IVRIVM EX  
DIRECTOR  
PROFESS  
CIV  
RESVRRE  
E  
EIVSQVE TRIPlica  
MEDIT

NVS  
AVLICVS,  
ECNON  
ARIO  
VIS,  
ISTI,  
NVMERI, *lx.*



Farbkarte #13

B.I.G.

